DE

EQUO ALBO

DE QUO

In Apocalypſi, Cap: XIX.

ET DEIN

De Verbo & Ejus Senſu Spirituali ſeu Interno, ex Arcanis Cœleſtibus.

LONDINI:
MDCCLVIII.

HARVARD COLLEGE LIBRARY
GIFT OF
DR. HARRIS KENNEDY
June 27, 1932

DE

EQUO ALBO

DE QUO

In Apocalypſi, Cap: XIX.

1: APUD Johannem in Apocalypſi ita deſcribitur Verbum quoad Senſum Spiritualem ſeu Internum, " *Vidi Cælum apertum, & ecce* EQUUS ALBUS, *& qui Sedens ſuper illo vocabatur fidelis & verus, & in Juſtitia judicat & pugnat: Oculi Ipſius flamma ignis; & ſuper Capite Ipſius diademata multa; habens Nomen ſcriptum, quod nemo novit niſi Ipſe: & circumindutus veſtimento tincto ſanguine, & vocatur Nomen Ipſius* VERBUM DEI. *Et Exercitus qui in Cælis, ſequebantur Ipſum ſuper equis albis, induti byſſino albo mundo: & habet ſuper veſtimento & ſuper femore ſuo Nomen ſcriptum,* REX REGUM & DOMINUS DOMINORUM," XIX: 11. 12. 13. 14. 16. Quid ſingula hæc involvunt, nemo ſcire poteſt niſi ex ſenſu interno; manifeſtum eſt, quod unumquodvis aliquod Repræſentativum & Significativum ſit, nempe Cœlum quod apertum, Equus qui albus, Sedens ſuper illo, quod in Juſtitia judicans & pugnans, quod oculi

Ipſius-flamma ignis, quod ſuper capite diademata multa, quod Nomen haberet quod nemo novit niſi Ipſe, quod circumindutus veſtimento tincto ſanguine, quod Exercitus qui in Cœlis ſequerentur Ipſum ſuper equis albis, quod illi induti byſſino albo mundo, & quod ſuper veſtimento & ſuper femore haberet Nomen ſcriptum; aperte dicitur quod ſit Verbum, & quod ſit Dominus qui Verbum, nam dicitur, "*Vocatur Nomen Ipſius* VERBUM DEI;" & dein, "*Habet ſuper veſtimento & ſuper femore ſuo Nomen ſcriptum*, REX REGUM & DOMINUS DOMINORUM." Ex interpretatione ſingularum vocum patet, quod hic deſcribatur Verbum quoad Senſum Spiritualem ſeu Internum; quod Cœlum ſit apertum, repræſentat & ſignificat, quod Internus ſenſus Verbi videatur in Cœlo, & inde ab illis in Mundo quibus Cœlum eſt apertum; Equus qui Albus repræſentat & ſignificat intellectum Verbi quoad interiora ejus, quod Equus Albus id ſignificet, patebit a ſequentibus; Sedens ſuper illo, quod ſit Dominus quoad Verbum, ita Verbum, conſtat, nam dicitur, *vocatur Nomen Ipſius Verbum Dei*; Qui Fidelis & in Juſtitia judicans vocatur ex Bono, ac Verus & in Juſtitia pugnans vocatur ex Vero, nam Ipſe Dominus eſt Juſtitia; Oculi ejus flamma ignis, ſignificant Divinum Verum ex Divino Bono Divini Amoris Ipſius; ſuper capite Ipſius diademata multa, ſignificant omnia bona & vera fidei; Habens Nomen ſcriptum quod nemo novit niſi Ipſe, ſignificat quod quale eſt Verbum in ſenſu interno nemo videat quam Ipſe, & cui Ipſe revelat; circumindutus veſtimento tincto ſanguine, ſignificat Verbum in litera cui violentia illata; Exercitus in Cœlis qui ſequebantur Ipſum ſuper equis albis, ſignificant illos qui in intellectu Verbi quoad interiora ſunt; Induti byſſino albo mundo, ſignificat eoſdem in vero ex bono; ſuper veſtimento & ſuper femore ſuo Nomen ſcriptum, ſignificat verum & bonum & eorum quale. Ex his & ex illis quæ præcedunt & ſequuntur, patet, quod ibi prædicatur, quod circa ultimum tempus Eccleſiæ Senſus ſpiritualis ſeu internus Verbi aperietur; ſed quid tunc eveniet, etiam deſcribitur ibi Verſ: 17. 18. 19. 20. 21. Quod illa ſignificentur per ea verba, non opus eſt ut hic oſtendatur, quoniam ſingula oſtenſa ſunt in ARCANIS CŒLESTIBUS, ut quod Dominus ſit Verbum, quia eſt Divinum Verum, n: 2533. 2803. 2884. 5272. 7835. Quod Verbum ſit Divinum Verum, n: 4692, 5075. 9987. Quod dicatur Sedens ſuper Equo in Juſtitia judicans & pugnans, quia Dominus eſt Juſtitia, quod Dominus dicatur Juſtitia ex eo quod ex propria potentia ſalvaverit Genus humanum, n: 1813. 2025. 2026. 2027. 9715. 9809. 10019. 10152:

Et

Et quod Juſtitia ſit Meritum quod Soli Domino, n : 9715. 9979. Quod Oculi flamma ignis ſignificent Divinum Verum ex Divino Bono Divini Amoris, eſt quia Oculi ſignificant Intellectum & Verum fidei, n : 2701. 4403 ad 4421. 4523 ad 4534. 6923. 9051. 10569 ; Et flamma ignis bonum amoris, n : 934. 4906. 5215. 6314. 6832. Quod diademata quæ ſuper capite ſignificent omnia bona & vera fidei, n : 114. 3858. 6335. 6640. 9863. 9865. 9868. 9873. 9905. Quod habens Nomen ſcriptum, quod nemo novit niſi Ipſe, ſignificet quod quale eſt Verbum in ſenſu interno nemo videat quam Ipſe, & cui Ipſe revelat, eſt quia Nomen ſignificat quale rei, n : 144. 145. 1754. 1896. 2009. 2724. 3006. 3237. 3421. 6674. 9310. Quod circumindutus veſtimento tincto ſanguine ſignificet Verbum in litera cui violentia illata, eſt quia Veſtimentum ſignificat verum quia inveſtit bonum, n : 1073. 2576. 5319. 9248. 5319. 5954. 9212. 9216. 9952. 10536 ; imprimis verum in ultimis, ita Verbum in litera, n : 5248. 6918. 9158. 9212 ; & quia ſanguis ſignificat violentiam a falſo illatam vero, n : 374. 1005. 4735. 5476. 9127. Quod Exercitus in Cœlis ſequerentur Ipſum ſuper equis albis ſignificent illos qui in intellectu Verbi quoad interiora ſunt, eſt quia Exercitus ſignificant illos qui in veris & bonis Cœli & Eccleſiæ ſunt, n : 3448. 7236. 7988. 8019, Et Equus intellectum, n : 3217. 5321. 6125. 6400. 6531. 6534. 7024. 8146. 8318. Et album, verum quod eſt in luce Cœli, ita verum interius, n : 3301. 3993. 4007. 5319. Quod induti byſſino albo mundo ſignificent eoſdem in vero ex bono, eſt quia byſſus ſeu byſſinum ſignificat verum ex origine cœleſti, quod eſt verum ex bono, n : 5319. 9469. Quod ſuper veſtimento & ſuper femore Nomen ſcriptum ſignificet verum & bonum, & eorum quale, eſt quia veſtimentum ſignificat verum, & nomen quale, ut ſupra, & femur ſignificat bonum amoris, n : 3021. 4277. 4280. 9961. 10485. Rex regum & Dominus dominorum eſt Dominus quoad Divinum Verum & quoad Divinum Bonum ; quod Dominus dicatur Rex ex Divino Vero, n : 3009. 5068. 6148. Et quod dicatur Dominus ex Divino Bono, n : 4973. 9167. 9194. Ex his apparet, quale eſt Verbum in Senſu ſpirituali ſeu interno, & quod nulla ibi vox ſit quæ non aliquid ſpirituale, quod eſt Cœli & Eccleſiæ, ſignificat.

2. In Propheticis Verbi multoties nominatur Equus, ſed hactenus nemini notum fuit, quod Equus Intellectum & Eques Intelligentem ſignificet, & hoc forſan quia alienum & mirabile apparet, quod per Equum tale in ſenſu ſpirituali & inde in Verbo intelligatur ; ſed uſque

quod

quod ita ſit, ex plurimis locis ibi conſtare poteſt, ex quibus velim ſolum aliqua hic afferre. In Prophetia Iſraelis de Dane, " *Dan ſerpens ſuper via, ſerpens jaculus ſuper ſemita, mordens calcaneos Equi, & cadet Eques ejus retrorſum,*" Geneſ: XLIX: 17. 18; quid hoc Propheticum de una Tribu Iſraelis ſignificat, nemo intellecturus eſt, niſi ſciat quid ſignificat ſerpens, tum quid Equus & Eques; quod ſpirituale ſit quod involvitur, nemo non ſcit; quid itaque ſingula ſignificant, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n: 6398. 6399. 6400. 6401, ubi explicatur hoc Propheticum. Apud Habakuk, " *Deus equitas ſuper Equis tuis, Currus tui ſalus, calcare feciſti in mari Equos tuos,*" III: 8. 15; quod Equi hic ſignificent ſpirituale, patet, quia illa dicuntur de Deo; quid alioquin foret, quod Deus equitaret ſuper Equis ſuis, & quod calcare faceret ſuper mari Equos ſuos. Apud Sachariam, " *In die illo erit ſuper tintinnabulis Equi Sanctitas Jehovæ,*" XIV: 20, ſimiliter. Apud Eundem, " *In die illo, dictum Jehovæ, percutiam omnem Equum ſtupore, & Equitem amentia, & ſuper domum Jehudæ aperiam oculos meos, & omnem Equum populorum percutiam cæcitate,*" XII: 4. 5; agitur ibi de Eccleſiæ vaſtatione, quæ fit quando non amplius alicujus veri intellectus; hoc deſcribitur ita per Equum & Equitem; quid alioquin foret quod omnis Equus percuteretur ſtupore, & quod Equus populorum percuteretur cæcitate, quid hoc ad Eccleſiam. Apud Hiobum, " *Obliviſci fecit Deus eum Sapientiam, & non impertitus eſt ei Intelligentiam, juxta tempus in altum elevavit ſe, deridet Equum & Equitem illius,*" XXXIX: 17. 18. 19 *ſeq:* quod hic per Equum ſignificetur Intellectus, manifeſte patet; ſimiliter apud Davidem, ubi dicitur *Equitare ſuper verbum veritatis,* Pſalm: XLV: 5; præter plurimis aliis in locis. Præterea quis ſciturus eſt, unde eſt, quod Elias & Eliſæus dicti fuerint Currus Iſraelis & Equites ejus; & cur puero Eliſæi viſus fuerit mons plenus Equis & Curribus igneis, niſi ſciatur quid ſignificant Currus & Equites, & quid repræſentaverunt Elias & Eliſæus; nam Eliſæus dixit ad Eliam, " *Pater mi, Pater mi, Currus Iſraelis & Equites ejus,*" 2 Reg: II: 11. 12: Et Joas Rex ad Eliſæum, *Pater mi, Pater mi, Currus Iſraelis & Equites ejus,*" 2 Reg: XIII: 14. Et de puero Eliſæi, " *Aperuit Jehovah oculos pueri Eliſæi, & vidit & ecce Mons plenus Equis & Curribus igneis circumcirca Eliſæum,*" 2 Reg: VI: 17. Quod Elias & Eliſæus dicti fuerint Currus Iſraelis & Equites ejus, eſt quia uterque repræſentavit Dominum quoad Verbum, & per Currus ſignificatur Doctrina e Verbo, & per Equites Intelligentia: quod Elias & Eliſæus repræſentaverint Dominum

minum quoad Verbum, videatur in ARCANIS CŒLESTIBUS, n: 5247. 7643. 8029. 9327, & quod Currus ſignificent Doctrinam e Verbo, n: 5321. 8215.

3. Quod Equus Intellectum ſignificet, non aliunde venit quam ex Repræſentativis in Mundo ſpirituali; multoties ibi apparent Equi & Inſidentes equis, tum etiam Currus, & ſciunt ibi omnes quod ſignificent Intellectualia & Doctrinalia; viſum eſt mihi ſæpius, cum aliqui ibi ex Intellectu ſuo cogitarent, quod apparerent ſicut equitantes equis; ita repræſentabat ſe Meditatio eorum coram aliis, iis neſcientibus. Eſt quoque ibi Locus, ubi conveniunt multi qui ex Intellectu cogitant & loquuntur de Veris doctrinæ; & cum alii illuc veniunt, vident totum illum Campum plenum Curribus & Equis, & novitii, qui mirantur undenam hoc, inſtruuntur quod Apparentia illa ſit ex intellectuali cogitatione eorum; Locus ille vocatur Conventus Intelligentium & Sapientium. Viſi etiam mihi ſunt Equi lucidi & Currus ignei, cum quidam ſublati ſunt in Cœlum, quod indicium erat quod tunc illi inſtructi fuerint in Veris doctrinæ cœleſtis, ac Intelligentes facti, & ſic ſublati: ex quo viſo, in mentem venit, quid ſignificatum eſt per Currum igneum & Equos igneos quibus Elias ſublatus eſt in Cœlum; & quid per Equos & Currus igneos viſos puero Eliſæi, cum oculi ejus aperti ſunt.

4. Quod Currus & Equi talia ſignificaverint, notiſſimum fuit in Eccleſiis Antiquis, quoniam Eccleſiæ illæ fuerunt Eccleſiæ Repræſentativæ, & apud eos, qui in illis, Scientia Correſpondentiarum & Repræſentationum fuit primaria ſcientia: ex illis Eccleſiis ſignificatio Equi, quod ſit Intellectus, derivata eſt ad ſapientes circumcirca, etiam in Græciam: inde habuerunt, cum deſcriberent Solem, ubi poſuerunt Sapientiæ & Intelligentiæ ſuæ deum, quod ei tribuerint Currum & quatuor Equos igneos. Et cum deſcriberent deum Maris, quia per Mare ſignificatæ ſunt ſcientiæ quæ ſunt ex intellectu, quod etiam illi dederint Equos. Et cum deſcriberent ortum Scientiarum ex Intellectu, quod finxerint Equum alatum, qui ungula rupit fontem, ad quem novem Virgines quæ Scientiæ; ex Antiquis enim Eccleſiis notum illis fuit, quod per Equum ſignificatus ſit Intellectus, per Alas ſpirituale verum, per Ungulam ſcientificum ex intellectu, & per Fontem Doctrina ex qua Scientiæ. Per Equum Trojanum nec aliud ſignificatum eſt quam Artificiale ex intellectu eorum deſtruendi muros. Hodie quidem cum deſcribitur Intellectus ex recepto ab Antiquis illis more, deſcribi ſolet per Equum volantem ſeu Pegaſum, Doctrina

per

per fontem, & Scientiæ per virgines; ſed vix aliquis novit, quod Equus in ſenſu myſtico ſignificet Intellectum; minus quod ſignificativa illa ab Eccleſiis Antiquis Repræſentativis ad Gentiles derivata fuerint.

5. Quoniam per Equum Album ſignificatur Intellectus Verbi quoad ſenſum ſpiritualem ſeu internum, ſequentur nunc illa quæ de Verbo & de illo Senſu in ARCANIS CŒLESTIBUS oſtenſa ſunt; nam ibi omnia, quæ continentur in Geneſi & in Exodo, ſecundum Senſum ſpiritualem ſeu internum Verbi explicata ſunt.

De

De Verbo & Ejus Senſu Spirituali ſeu Interno ex Arcanis Cœleſtibus.

6. *De Verbi Neceſſitate & Præſtantia.* Quod ex lumine naturæ nihil ſciatur de Domino, de Cœlo & Inferno, de Vita hominis poſt mortem, & de Divinis Veris per quæ homini vita ſpiritualis & æterna, n: 8944. 10318. 10319. 10320. Quod id conſtare poſſit ex eo, quod plures, & inter eos Eruditi, non credant illa, tametſi nati ſunt ubi Verbum, & per id inſtructi de illis, n: 10319. Quod ideo neceſſum fuerit, ut aliqua Revelatio eſſet e Cœlo, quia homo ad Cœlum natus eſt, n: 1775. Quod ideo omni tempore fuerit Revelatio, n: 2895. De variis Revelationis ſpeciebus in hac Tellure ſucceſſive, n: 10355. 10632. Quod Antiquiſſimis, qui vixerunt ante Diluvium, quorum Tempus vocatum eſt Sæculum aureum, fuerit Revelatio immediata, & inde Divinum Verum inſcriptum cordibus eorum, n: 2896. Quod Antiquis Eccleſiis, quæ fuerunt poſt Diluvium, fuerit Verbum Hiſtoricum & Propheticum, n: 2686. 2897; *de quibus Eccleſiis videatur in* NOVA HIEROSOLYMA & EJUS DOCTRINA, n: 247. Quod Hiſtorica ejus dicta fuerint Bella Jehovæ, & Prophetica Enuntiata, n: 2897. Quod id Verbum fuerit ſimile noſtro Verbo quoad Inſpirationem, ſed accommodatum illis Eccleſiis, n: 2897. Quod id memoratum ſit a Moſe, n: 2686. 2897. Sed quod id Verbum deperditum ſit, n: 2897. Quod etiam Propheticæ Revelationes apud alios fuerint, ſicut patet a Propheticis Bileami, n: 2898.

Quod Verbum ſit Divinum in omnibus & ſingulis, n: 639. 680. 10321. 10637. Quod Verbum ſit quoad omnem apicem & jotham Divinum & Sanctum, ab experientia, n: 1349. Quomodo explicatur hodie, quod Verbum quoad omnem jotham ſit inſpiratum, n: 1886.

Quod Eccleſia in ſpecie ſit ubi Verbum, & per id Dominus notus, ac Divina Vera revelata, n: 3857. 10761. At quod ideo ab Eccleſia non ſint, qui nati ubi Verbum, & per id Dominus notus, ſed qui per Vera ex Verbo a Domino regenerantur, qui ſunt qui

vivunt ſecundum Vera ibi, ita qui vivunt vitam amoris & fidei, n: 6637. 10143. 10153. 10578. 10645. 10829.

7. *Quod Verbum non intelligatur quam ab illuſtratis.* Quod Rationale humanum non capere poſſit Divina, ne quidem Spiritualia, niſi a Domino illuſtretur, n: 2196. 2203. 2209. 2654. Ita quod modo Illuſtrati capiant Verbum, n: 10323. Quod Dominus illis, qui illuſtrantur, det intelligere vera, ac diſcernere illa quæ ſibi apparent contradicere, n: 9382. 10659. Quod Verbum in ſenſu literæ non ſibi ſimile ſit, & aliquoties appareat ſibi contradicens, n: 9025. Et quod ideo a non illuſtratis poſſit explicari & trahi ad confirmandum quamcunque opinionem & hæreſin, & ad patrocinandum cuicunque amori mundano & corporeo, n: 4738. 10339. 10401. Quod illi ex Verbo illuſtrentur, qui legunt illud ex amore veri & boni, non autem qui ex amore famæ, lucri, honoris, ita ex amore ſui, n: 9382. 10548. 10549. 10550. Quod illi illuſtrentur qui in bono vitæ ſunt, & inde in affectione veri, n: 8694. Quod illuſtrentur, quibus Internum apertum eſt, ita qui quoad Internum ſuum hominem poſſunt elevari in lucem cœli, n: 10401. 10402. 10691. 10694. Quod Illuſtratio ſit actualis aperitio interiorum quæ mentis, & quoque elevatio in lucem cœli, n: 10330. Quod Sanctum ab Interno, hoc eſt, per Internum a Domino, influat apud illos qui ſanctum habent Verbum, illis neſcientibus, n: 6789. Quod illuſtrentur illi, & in Verbo videant vera, qui a Domino ducuntur, non autem qui a ſemet, n: 10638. Quod illi a Domino ducantur, qui amant verum quia eſt verum, qui etiam ſunt qui amant vivere ſecundum Divina vera, n: 10578. 10645. 10829. Quod Verbum vivificetur apud hominem ſecundum ejus amoris & fidei vitam, n: 1776. Quod illa quæ, a propria intelligentia ſunt, non vitam in ſe habeant, quia a proprio hominis nihil bonum, n: 8941. 8944. Quod non illuſtrari poſſint, qui ſe multum confirmaverunt in Doctrina falſa, n: 10640.

Quod Intellectus ſit qui illuſtratur, n: 6608. 9300. Quod Intellectus ſit recipiens veri, n: 6242. 6608. 10659. Quod de omni Doctrinali Eccleſiæ ſint ideæ quæ intellectus & cogitationis inde, ſecundum quas Doctrinale percipitur, n: 3310. 3825. Quod ideæ hominis, quamdiu vivit in mundo, ſint naturales, quia tunc homo cogitat in naturali, ſed quod uſque ſpirituales ideæ in illis reconditæ ſint apud illos qui in affectione veri propter verum ſunt, & quod in eas veniat homo poſt mortem, n: 3310. 5510. 6201. 10236. 10240. 10550.

10550. Quod abſque ideis intellectus & inde cogitationis de quacunque re nulla perceptio, n: 3825. Quod ideæ de rebus fidei aperiantur in altera vita, & ibi ab Angelis videantur quales ſunt, & quod homo tunc conjungatur aliis ſecundum illas quantum ex affectione quæ amoris procedunt, n: 1869. 3320. 5510. 6201. 8885. Quod ideo Verbum non intelligatur quam a Rationali homine; nam credere aliquid abſque idea rei & abſque rationis intuitione, eſt modo memoriter retinere vocem omni vita perceptionis & affectionis deſtitutam, quod non eſt credere, n: 2533. Quod Senſus literalis Verbi ſit qui illuſtratur, n: 3619. 9824. 9905. 10548.

8. *Quod Verbum non intelligatur niſi per Doctrinam ex Verbo.* Quod Doctrina Eccleſiæ erit ex Verbo, n: 3464. 5402. 6832. 10763. 10765. Quod Verbum abſque Doctrina non intelligatur, n: 9025. 9409. 9424. 9430. 10324. 10431. 10582. Quod vera Doctrina ſit Lucerna illis qui legunt Verbum, n: 10401. Quod genuina Doctrina erit ab illis qui in illuſtratione ſunt a Domino, n: 2510. 2516. 2519. 2424. 10105. Quod Verbum per Doctrinam ab Illuſtrato factam intelligatur, n: 10324. Quod qui in illuſtratione ſunt, ex Verbo ſibi faciant doctrinam, n: 9382. 10659. Diſcrimen inter illos qui docent & diſcunt ex Doctrina Eccleſiæ, & inter illos qui ex ſolo ſenſu literæ Verbi, quale, n: 9025. Quod illi, qui in ſenſu literæ Verbi abſque doctrina ſunt, in nullum intellectum veniant de veris Divinis, n: 9409. 9410. 10582. Quod in plures errores cadant, n: 10431. Quod qui in affectione veri propter verum ſunt, cum adulti fiunt, & ex ſuo intellectu videre poſſunt, non ſimpliciter maneant in Doctrinalibus ſuæ Eccleſiæ, ſed quod ex Verbo ſcrutentur num vera ſint, n: 5402. 5432. 6047. Quod alioquin foret cuivis verum ex alio, & ex natali ſolo ſive natus Judæus ſive Græcus, n: 6047. Quod uſque quæ fidei facta ſunt ex ſenſu literali Verbi non exſtinguenda ſint, niſi poſt plenam intuitionem, n: 9039.

Quod vera Doctrina Eccleſiæ ſit Doctrina charitatis & fidei, n: 2417. 4766. 10763. 10765. Quod Doctrina fidei non faciat Eccleſiam, ſed vita fidei, quæ eſt charitas, n: 809. 1798. 1799. 1834. 4468. 4677. 4766. 5826. 6637. Quod Doctrinalia nihil ſint niſi vivatur ſecundum illa, & quod quiſque videre poſſit quod ſint propter vitam, & non propter memoriam & inde aliquid cogitationis, n: 1515. 2049. 2116. Quod hodie in Eccleſiis Doctrina fidei ſit, & non charitatis, & quod Doctrina charitatis rejecta ſit in Scientiam, quæ vocatur Theo-

logia moralis, n: 2417. Quod Eccleſia eſſet una, ſi agnoſcerentur pro hominibus Eccleſiæ ex vita, ita ex charitate, n: 1285. 1316. 2982. 3267. 3445. 3451. 3452. Quantum valet Doctrina charitatis præ Doctrina fidei ſeparatæ a charitate, n: 4844. Quod in ignorantia de cœleſtibus ſint, qui non ſciunt aliquid de charitate, n: 2435. Qui modo habent Doctrinam fidei & non charitatis, quod in errores labantur, de quibus etiam, n: 2417. 2383. 3146. 3325. 3412. 3413. 3416. 3773. 4672. 4730. 4783. 4925. 5351. 7623 ad 7677. 7752 ad 7762. 7790. 8094. 8313. 8530. 8765. 9186. 9224. 10555. Quod illi, qui ſolum in Doctrina fidei ſunt, & non in vita fidei quæ charitas, olim dicti fuerint Præputiati ſeu Philiſthæi, n: 3412. 3413. 3463. 8313. 8093. 9340. Quod apud Antiquos fuerit Doctrina amoris in Dominum & Charitatis erga proximum, & quod Doctrina fidei inſerviverit ei, n: 2417. 3419. 4844. 4955.

Quod Doctrina per Illuſtratum facta poſtea per rationalia & ſcientifica confirmari poſſit, & quod ſic plenius intelligatur, & quod corroboretur, n: 2553. 2719. 2720. 3052. 3310. 6047. *Plura de hac re videantur in* NOVA HIEROSOLYMA ET EJUS DOCTRINA, n: 51. Quod illi, qui in fide ſeparata a charitate ſunt, velint ut doctrinalia Eccleſiæ ſimpliciter credantur abſque aliqua intuitione rationali, n: 3394.

Quod confirmare dogma non ſapientis ſit, ſed videre num verum ſit antequam confirmatur, & quod hoc fiat apud illos qui in illuſtratione ſunt, n: 1017. 4741. 7012. 7680. 7950. Quod lux confirmationis ſit lux naturalis, non ſpiritualis, dabilis etiam apud malos, n: 8780. Quod omnia, etiam falſa, confirmari poſſint uſque ut appareant ſicut vera, n: 2482. 2490. 5033. 6865. 8321.

9. *Quod in Verbo ſenſus ſpiritualis ſit, qui vocatur Senſus internus.* Quod nemo ſcire poſſit quid Senſus ſpiritualis ſeu internus Verbi, niſi ſciat quid Correſpondentia, n: 2895. 4322. Quod omnia & ſingula, uſque ad ſingulariſſima, quæ in Naturali mundo ſunt, correſpondeant Spiritualibus, & inde ſignificent illa, n: 2890 ad 2893. 2897 ad 3003. 3213 ad 3227. Quod ſpiritualia, quibus correſpondent naturalia, ſub alia facie appareant in naturali, ut non internoſcantur, n: 1887. 2396. 8920. Quod vix aliquis ſciat, ubinam Divinum in Verbo, cum tamen in Senſu ejus interno & ſpirituali, qui neſcitur hodie quod ſit, n: 2980. 4989. Quod myſticum Verbi non aliud ſit, quam quod Senſus ejus internus ſeu ſpiri-

tualis continet, in quo agitur de Domino, de Glorificatione Humani Ipſius, de Regno Ipſius, & de Eccleſia, & non de naturalibus quæ in mundo, n : 4923. Quod Prophetica plurimis in locis non intelligantur, & ſic nullius uſus ſint, abſque Senſu interno, ab exemplis, n : 2608. 8020. 8398. Sicut quid ſignificatur per Equum Album in Apocalypſi, n : 2760 ſeq: Quid per Claves Regni cœlorum Petro datas, Præf : ad Cap : XXII Geneſ : & n : 9410. Quid per Carnem, Sanguinem, Panem, Vinum, in Sancta Cœna, n : 8682. Quid per Prophetica Jacobi de filiis ſuis Geneſ : Cap : XLIX, n : 6306. 6333 ad 6465. Quid per plura Prophetica de Jehudah & Iſraele, quæ non cum illa gente quadrant, nec coincidunt ſecundum ſenſum literæ, n : 6331. 6361. 6415. 6438. 6444. Præter perplura alia, n : 2608. Porro, quid Correſpondentia, videatur in Opere DE CŒLO & INFERNO, n : 87 ad 102, n : 103 ad 115; & n : 303 ad 310.

De Senſu interno ſeu ſpirituali Verbi in ſumma, n : 1767 ad 1777. 1869 ad 1879. Quod in omnibus & ſingulis Verbi ſit Senſus internus, n : 1143. 1984. 2135. 2333. 2395. 2495. 2619. Quod illa non appareant in ſenſu literæ, ſed quod uſque ſint intus in eo, n : 4442.

10. *Quod Senſus Internus Verbi imprimis ſit pro Angelis, & quod quoque ſit pro hominibus.* Ut ſciatur quid Senſus Internus, qualis ille, & unde, dicendum hic eſt in ſumma. Quod cogitent & loquantur aliter in Cœlo quam in Mundo, in Cœlo ſpiritualiter in Mundo naturaliter; quapropter cum homo legit Verbum, quod Angeli qui apud hominem, percipiant illud ſpiritualiter, cum homines naturaliter; quod inde Angeli in Senſu Interno ſint, cum homines in Senſu Externo; ſed quod uſque unum faciant per Correſpondentiam. Quod Angeli non modo ſpiritualiter cogitent, ſed etiam ſpiritualiter loquantur; tum quod ſint apud hominem; & quod Conjunctio illorum ſit per Verbum, videatur in Opere DE CŒLO & INFERNO, ubi agitur *de Sapientia Angelorum Cæli*, n : 265 ad 275. *De Loquela illorum*, n : 234 ad 245. *De Conjunctione illorum cum homine*, n : 291 ad 302. *Et de Conjunctione per Verbum*, n : 303 ad 310.

Quod Verbum aliter intelligatur ab Angelis in Cœlis, quam ab Hominibus in terris, & quod Angelis ſit ſenſus internus ſeu ſpiritualis, hominibus autem ſenſus externus ſeu naturalis, n : 1887. 2396. Quod Angeli percipiant Verbum in Senſu interno, & non in Senſu externo, ab

ab experientia illorum qui mecum e Cœlo loquuti ſunt, cum legi Verbum, n: 1769. 1770. 1771. 1772. Quod ideæ cogitationis & quoque loquelæ angelicæ ſint ſpirituales, ideæ autem & loquelæ humanæ naturales, quod ideo Senſus internus qui ſpiritualis pro Angelis ſit, illuſtratum ab experientia, n: 2333. Quod tamen ſenſus literæ Verbi inſerviat ideis ſpiritualibus Angelorum pro mediis, comparative ſicut faciunt voces loquelæ ſenſui rei apud hominem, n: 2143. Quod illa, quæ ſunt Senſus interni Verbi, cadant in talia quæ ſunt lucis cœli, ita in perceptionem angelicam, n: 2618. 2619. 2629. 3086. Quod ideo illa, quæ Angeli e Verbo percipiunt, illis pretioſa ſint, n: 2540. 2541. 2545. 2551. Quod Angeli ne quidem unam vocem Senſus literæ Verbi intelligant, n: 64. 65. 1434. 1929. Quod nec ſciant Nomina perſonarum & locorum quæ in Verbo, n: 1434. 1888. 4442. 4480. Quod Nomina non intrare poſſint in Cœlum, nec ibi enuntiari, n: 1876. 1888. Quod omnia Nomina in Verbo ſignificent res, & quod in ideas rei vertantur in Cœlo, n: 768. 1888. 4310. 4442. 5225. 5287. 10329. Quod etiam Angeli cogitent abſtracte a perſonis, n: 6613. 8343. 8985. 9007. Quam elegans Senſus internus Verbi, tametſi mera Nomina, ab exemplis e Verbo, n: 1224. 1888. 2395. Quod etiam plura Nomina in ſerie in ſenſu interno unam rem exprimant, n: 5905. quod etiam omnes Numeri in Verbo ſignificent res, n: 482. 487. 647. 648. 755. 813. 1963. 1988. 2075. 2252. 3152. 4264. 6175. 9488. 9659. 10217. 10253. Quod Spiritus etiam percipiant Verbum in Senſu interno, prout interiora eorum in Cœlum aperta ſunt, n: 1771. Quod Senſus literæ Verbi, qui naturalis, tranſmutetur momento in Spiritualem apud Angelos, quia eſt Correſpondentia, n: 5648. Et hoc abſque auditione & cognitione quid in Senſu literæ ſeu externo, n: 10215. Sic quod Senſus literæ ſeu externus ſit modo apud hominem, nec pergat ultra, n: 2015.

Quod ſit Senſus Internus Verbi, & quoque Senſus Intimus ſeu Supremus, de quibus, n: 9407. 10604. 10614. 10627. Quod Angeli ſpirituales, hoc eſt, qui in Regno ſpirituali Domini ſunt, percipiant Verbum in Senſu interno, & quod Angeli cœleſtes, hoc eſt, qui in Regno cœleſti Domini ſunt, percipiant Verbum in Senſu intimo, n: 2157. 2275.

Quod Verbum ſit pro hominibus, & quoque pro Angelis, utriſque accommodatum, n: 7381. 8862. 10322. Quod Verbum ſit uniens cœli & terræ, n: 2310. 2493. 9212. 9216. 9357. Quod Conjunctio Cœli cum homine ſit per Verbum, n: 9396. 9400. 9401. 10452.

10452. Quod ideo Verbum dicatur fœdus, n: 9396. Quoniam fœdus ſignificat conjunctionem, n: 665. 666. 1023. 1038. 1864. 1996. 2003. 2021. 6804. 8767. 8778. 9396. 10632. Quod Senſus Internus in Verbo ſit, quia Verbum a Domino per tres Cœlos deſcenderat uſque ad hominem, n: 2310. 6397. Et quod ſic accommodatum factum ſit Angelis trium Cœlorum, & quoque Hominibus, n: 7381. 8862. Quod inde ſit, quod Verbum Divinum ſit, n: 2980. 4989. Et quod ſit Sanctum, n: 10276. Et quod ſit Spirituale, n: 4480. Et quod ſit a Divino Inſpiratum, n: 9094. Quod id ſit Inſpiratio, n: 9094.

Quod etiam Homo, qui Regeneratus eſt, actualiter ſit in Senſu interno Verbi, tametſi id neſcit, quoniam ei Internus homo apertus eſt, cui perceptio ſpiritualis, n: 10401. Sed quod apud illum Spirituale Verbi influat in ideas naturales, ac ita naturaliter ſiſtatur, quoniam cum vivit in Mundo, in naturali homine, quantum ad perceptionem, cogitat, n: 5614. Quod inde Lux veri apud illos, qui illuſtrantur, ſit ab Interno eorum, ita per Internum a Domino, n: 10691. 10694. Quod etiam per illam viam Sanctum influat apud illos qui ſanctum habent Verbum, n: 6789. Quoniam homo Regeneratus actualiter in Senſu Interno Verbi eſt, & id in ſancto ejus, tametſi id neſcit, quod ideo poſt mortem in illum ex ſe veniat, & quod non amplius ſit in ſenſu literæ, n: 3226. 3342. 3343. Quod ideæ Interni hominis ſint ſpirituales, ſed quod homo, cum in mundo vivit, non animadvertat illas, quoniam inſunt cogitationi ejus naturali, cui dant facultatem rationalem, n: 10236. 10240. 10550. Sed quod homo poſt mortem, in illas ſuas, quia ſunt propriæ ſpiritus ejus, veniat, & ex illis tunc non modo cogitet ſed etiam loquatur, n: 2470. 2478. 2479. 10568. 10604. Inde eſt, quod dictum ſit, quod Homo regeneratus neſciat quod in ſenſu ſpirituali Verbi ſit, & quod inde ei illuſtratio.

11. *Quod in Senſu Interno ſeu Spirituali Verbi innumerabilia Arcana ſint.* Quod Verbum in Senſu Interno innumerabilia contineat, quæ captum humanum excedunt, n. 3085. 3086. Quod etiam ineffabilia & inexplicabilia, n: 1965. Quæ ſolum ſiſtuntur Angelis, & ab illis intelliguntur, n: 167. Quod Senſus Internus Verbi contineat Arcana Cœli, quæ concernunt Dominum ac Regnum Ipſius in Cœlis & in Terris, n: 1. 2. 3. 4. 937. Quod Arcana illa non appareant in Senſu literæ, n: 937. 1502. 2161. Quod plura, quæ apud Prophetas ſunt, appareant ſicut ſparſa, quæ in Senſu

Senſu Interno in pulchra ſerie continenter cohærent, n: 7153. 9022. Quod non unica vox, ne quidem unica jotha in Lingua ſua originali, abeſſe queat in Verbi Senſu literæ abſque interruptione in Senſu interno; & quod ideo ex Divina Domini Providentia Verbum tam integrum conſervatum ſit ad omnem apicem, n: 7933. Quod innumerabilia inſint ſingulis Verbi, n: 6637. 8920. Et unicuique voci, n: 1689. Quod innumerabilia ſint in Oratione Dominica, & in ſingulis ejus, n: 6619. Et in præceptis Decalogi; in quorum tamen ſenſu externo aliqua talia ſunt, quæ nota ſunt unicuique Genti abſque Revelatione, n: 8867. 8900. Quod in quovis Corniculo literæ Verbi in Lingua originali ſit ſanctum, oſtenſum e Cœlo, videatur in Opere DE CŒLO ET INFERNO, n: 260, ubi explicantur Domini verba, *quod non jotha unum & corniculum unum præterebit de Lege*, Matth: v: 18.

Quod in Verbo imprimis Prophetico ſint binæ expreſſiones ſicut ejuſdem rei, ſed quod una ſe referat ad bonum & altera ad verum, n: 683. 707. 2516. 8339. Quod in Verbo bona & vera conjuncta ſint mirabiliter, & quod illa conjunctio ſolum appareat ei qui ſcit Senſum Internum, n: 10554. Et ſic quod in Verbo & in ſingulis ejus ſit Conjugium Divinum & Conjugium cœleſte, n: 683. 793. 801. 2173. 2516. 2712. 5138. 7022. Conjugium Divinum, quod eſt Conjugium Divini Boni & Divini Veri, ita Dominus in Cœlo, in Quo Solo ibi id Conjugium, n: 3004. 3005. 3009. 4158. 5194. 5502. 6343. 7945. 8339. 9263. 9314. Quod per Jeſum etiam ſignificetur Divinum Bonum, & per Chriſtum Divinum Verum, & ſic per utrumque Conjugium Divinum in Cœlo, n: 3004. 3005. 3009. Quod hoc Conjugium ſit in ſingulis Verbi in Senſu ejus Interno, ita Dominus quoad Divinum Bonum & Divinum Verum, n: 5502. Quod Conjugium boni & veri a Domino in Cœlo & in Eccleſia ſit quod vocatur Conjugium cœleſte, n: 2508. 2618. 2803. 3004. 3211. 3952. 6179. Ita quod in eo reſpectu Verbum ſit quaſi Cœlum, n: 2173. 10126. Quod Cœlum aſſimiletur Conjugio in Verbo ex Conjugio boni & veri ibi, n: 2758. 3132. 4434. 4834.

Quod Senſus internus ſit ipſa genuina Doctrina Eccleſiæ, n: 9025. 9430. 10401. Quod qui intelligunt Verbum ſecundum Senſum internum, illi ſciant ipſam veram Doctrinam Eccleſiæ, quia Senſus internus illam continet, n: 9025. 9430. 10401. Quod Internum Verbi etiam ſit Internum Eccleſiæ, ut & Internum Cultus, n: 10460.

Quod

Quod Verbum ſit Doctrina amoris in Dominum, & charitatis erga proximum, n: 3419. 3420.

Quod Verbum in litera ſit ſicut Nubes, & quod in Senſu interno ſit Gloria, Præfat: ad Geneſ. Cap: XVIII: & n: 5922. 6343; ubi explicatur, *quod Dominus venturus ſit in Nubibus Cæli cum Gloria.* Quod etiam Nubes in Verbo ſignificet Verbum in ſenſu literæ, & Gloria Verbum in Senſu interno, Præf: ad Cap: XVIII: Geneſ: & n: 4060. 4391. 5922. 6343. 6752. 8106. 8781. 9430. 10551. 10574. Quod illa, quæ in Senſu literæ ſunt, ad illa quæ in Senſu interno, ſe habeant ſicut projectiones rudes circum Cylindrum opticum politum, ex quibus tamen in Cylindro ſiſtitur pulchra imago hominis, n: 1871. Repræſentati in Mundo ſpirituali, qui ſolum Senſum literæ volunt & agnoſcunt, per Vetulam deformem, qui autem ſimul Senſum internum, per Virginem decore amictam, n: 1774. Quod Verbum in toto complexu ſit imago Cœli, quia Verbum eſt Divinum Verum, ac Divinum Verum facit Cœlum, & Cœlum refert unum Hominem, & quod in eo reſpectu Verbum ſit ſicut imago Hominis, n: 187. *Quod Cœlum in uno complexu referat unum Hominem*, videatur *in Opere* DE CŒLO & INFERNO, n: 59 ad 67. *Et quod Divinum Verum procedens a Domino faciat Cœlum*, n: 126 ad 140. 200 ad 212. Quod Verbum pulchre & amæne ſiſtatur coram Angelis, n: 1767. 1768. Quod Senſus literæ ſit quaſi corpus, & quod Senſus Internus ſit quaſi anima illius corporis, n: 8943. Quod inde Vita Verbo ſit ex Senſu interno, n: 1405. 4857. Quod Verbum ſit purum in Senſu Interno, & quod ita non appareat in Senſu literæ, n: 2362. 2396. Quod illa, quæ in Senſu literæ ſunt, ſancta ſint ab Internis, n: 10126. 10728.

Quod in Hiſtoricis Verbi etiam ſit Senſus Internus, ſed intus in illis, n: 4989. Ita quod Hiſtorica Verbi æque ac Prophetica contineant Arcana cœli, n: 755. 1659. 1709. 2310. 2333. Quod Angeli non Hiſtorice percipiant illa, ſed dogmatice quia ſpiritualiter, n: 6884. Quod Arcana interiora, quæ in Hiſtoricis ſunt, minus pateant homini, quam in Propheticis, cauſa quia Mens in intentione ac intuitione de Hiſtoricis eſt, n: 2176. 6597.

Porro, qualis Senſus Internus Verbi eſt, oſtenſum, n: 1756. 1984. 2004. 2663, 3033. 7089. 10604. 10614. Illuſtratum per comparationes, n: 1873.

12. *Quod Verbum conſcriptum ſit per Correſpondentias, & ſic per Repræſentativa.* Quod Verbum quoad

Senſum literæ conſcriptum ſit per meras Correſpondentias, ita per talia quæ repræſentant & ſignificant ſpiritualia, quæ ſunt Cœli & Eccleſiæ, n: 1404. 1408. 1409. 1540. 1619. 1659. 1709. 1783. 2179. 2763. 2899. Quod hoc factum ſit propter Senſum Internum in ſingulis, n: 2899. Ita propter Cœlum, quoniam illi, qui in Cœlo ſunt, Verbum non intelligunt ſecundum Senſum literæ ejus, qui naturalis, ſed ſecundum Senſum internum, qui ſpiritualis, n: 2899. Quod Dominus loquutus ſit per Correſpondentias, Repræſentativa & Significativa, quia a Divino, n: 9409. 9063. 9086. 10126. 10728. Quod Dominus ſic loquutus ſit coram Mundo & ſimul coram Cœlo, n: 2533. 4807. 9049. 9063. 9086. Quod illa, quæ Dominus loquutus eſt, pervaſerint totum cœlum, n: 4637. Quod Hiſtorica Verbi ſint Repræſentativa, verba Significativa, n: 1540. 1659. 1709. 1783. 2687. Quod Verbum non alio ſtylo conſcribi potuerit, ut per id communicatio & conjunctio cum Cœlis eſſet, n: 2899. 6943. 9481. Quod valde errent, qui Verbum propter ſtylum ſimplicem & rudem ad apparentiam contemnunt, & qui cogitant quod recepturi Verbum ſi alio ſtylo conſcriptum fuiſſet, n: 8783. Quod etiam modus ſcribendi & ſtylus Antiquiſſimis fuerit per Correſpondentias, & Repræſentativa, n: 605. 1756. 9942. Quod Sapientes Antiqui delectati ſint Verbo, quia ibi Repræſentativa & Significativa, ab experientia, n: 2592. 2593. Si homo Antiquiſſimæ Eccleſiæ legiſſet Verbum, quod clare vidiſſet illa quæ in Senſu interno ſunt, & obſcure illa quæ in Senſu externo, n: 449. Quod filii Jacobi in terram Canaanem deducti fuerint, quia omnia loca in illa Terra ab Antiquiſſimis temporibus repræſentativa facta ſunt, n: 1585. 3686. 4441. 5136. 6516. Et ſic ut Verbum ibi conſcriberetur, in quo Loca nominanda erant propter Senſum Internum, n: 3686. 4447. 5136. 6416. Sed quod uſque Verbum quoad Senſum Externum immutatum ſit propter illam Gentem, non autem quoad Senſum Internum, n: 10453. 10461. 10603. 10604. Plura loca e Verbo de illa Gente allata, quæ tamen intelligenda ſunt ſecundum Senſum Internum, ita aliter quam ſecundum literam, n: 7051. Quoniam Gens illa repræſentabat Eccleſiam, & quia Verbum apud illam & de illa conſcriptum eſt, quod ideo Divina Cœleſtia per Nomina illorum ſignificata ſint, ut per Rubenem, Schimeonem, Levi, Jehudam, Ephraimum, Joſephum, & reliquos: & quod per Jehudam in Senſu Interno ſignificetur Dominus quoad Amorem Cœleſtem, ac Regnum Cœleſte Ipſius, n: 3654. 3881. 3583. 5782. 6362 ad 6382. *Ut ſciatur quid ſunt & quales ſunt Correſpondentiæ, & qualia*

ſunt

ſunt Repræſentativa in Verbo, ideo aliquid de illis quoque dicetur.

Quod omnia quæ Correſpondent, etiam Repræſentent, & inde ſignificent, ſic ut Correſpondentiæ & Repræſentationes unum ſint, n: 2890. 2897. 2971. 2987. 2989. 2990. 3002. 3225. Quid Correſpondentiæ & Repræſentationes, ab experientia & ab exemplis, n: 2703. 2987 ad 3002. 3213 ad 3226. 3337 ad 3352. 3472 ad 3485. 4218 ad 4228. 9280. Quod Scientia Correſpondentiarum & Repræſentationum fuerit præcipua Scientia apud Antiquos, n: 3021. 3419. 4280. 4749. 4844. 4964. 4965. 6004. 7729. 10252. Imprimis apud Orientales, n: 5702. 6692. 7097. 7779. 9391. 10252. 10407. Quod in Ægypto præ aliis, n: 5702. 6692. 7097. 7779. 9391. 10407. Quod etiam apud Gentiles, ut in Græcia, & alibi, n: 2762. 7729. Sed quod hodie inter Scientias deperditas ſit, imprimis in Europa, n: 2894. 2895. 2994. 3630. 3632. 3747. 3748. 3749. 4581. 4966. 10252. Quod uſque illa Scientia præſtet omnibus Scientiis, quoniam abſque illa non intelligitur Verbum, nec quid ſignificant Ritus Eccleſiæ Judaicæ de quibus in Verbo, nec ſcitur quale Cœlum, nec quid Spirituale, nec quomodo ſe habet cum Influxu ſpirituali in naturale, nec quomodo de Influxu animæ in corpus, & plura alia, n: 4180, & *in locis ſupra citatis.* Quod omnia quæ apud Spiritus & Angelos apparent, ſint Repræſentativa ſecundum correſpondentias, n: 1971. 3213 ad 3226. 3457. 3475. 3485. 9481. 9574. 9576. 9577. Quod Cœli ſint pleni Repræſentativis, n: 1521. 1532. 1619. Quod Repræſentativa eo pulchriora & perfectiora exiſtant, quo interius in cœlis, n: 3475. Quod Repræſentativa ibi ſint Apparentiæ reales, quia a Luce Cœli, quæ eſt Divinum Verum: & hoc eſt ipſum eſſentiale exiſtentiæ omnium, n: 3485.

Cauſa, quod omnia & ſingula, quæ in Spirituali Mundo ſunt, in Mundo Naturali repræſententur, eſt quia Internum ſe induit convenientibus in Externo, per quæ ſe viſibile ſiſtit & apparet, n: 6275. 6284. 6299. Ita Finis ſe induit convenientibus, ut ſe ſiſtat ut Cauſa in inferiore ſphæra, & dein ut ſe ſiſtat ut Effectus in adhuc inferiore; & cum Finis per Cauſam fit Effectus, tunc fit viſibilis, ſeu coram oculis apparet, n: 5711. Hæc illuſtrata per Influxum animæ in corpus, quod nempe anima induatur talibus in corpore, per quæ omnia quæ cogitat & vult, poſſunt viſibiliter ſiſti & apparere; quare cogitatio cum defluit in corpus, repræſentatur per tales geſtus & affectiones, quæ correſpondent, n: 2988. Manifeſte affectiones, quæ mentis ſunt, repræſentantur in facie per varios ejus vultus, adeo ut ibi videantur,

n: 4791 ad 4805. 5695. Inde patet, quod in omnibus & ſingulis naturæ lateat interius cauſa & finis e Spirituali Mundo, n: 3562. 5711. Quoniam illa, quæ in Natura ſunt, ultimi effectus ſunt, quibus inſunt priora, n: 4240. 4939. 5051. 6275. 6284. 6299. 9216. Quod Interna ſint quæ repræſentantur, & Externa quæ repræſentant, n: 4292. *Quid porro Correſpondentiæ & Repræſentationes, videatur in Opere* DE CŒLO & INFERNO, *ubi actum eſt de Correſpondentia omnium Cœli cum omnibus hominis*, n: 87 ad 102. *De Correſpondentia Cœli cum omnibus Telluris*, n: 103 ad 115. *Et de Repræſentativis & Apparentiis in Cœlo*, n: 170 ad 176.

Quoniam omnia in Natura Repræſentativa Spiritualium & Cœleſtium ſunt, quod ideo Antiquis temporibus Eccleſiæ fuerint, in quibus omnia Externa, quæ erant Ritualia, repræſentativa erant; ideo illæ Eccleſiæ dictæ fuerunt Eccleſiæ Repræſentativæ, n: 519. 521. 2896. Quod Eccleſia apud Filios Iſraelis inſtituta fuerit Eccleſia Repræſentativa, n: 1003. 2179. 10149. Quod omnia Ritualia ibi fuerint Externa, quæ repræſentaverunt Interna, quæ Cœli & Eccleſiæ ſunt, n: 4288. 4874. Quod Repræſentativa Eccleſiæ & Cultus ceſſaverint, cum Dominus in mundum venit, & ſe manifeſtavit, quia Dominus Interna Eccleſiæ aperuit, & quia omnia Eccleſiæ illius in ſupremo ſenſu Ipſum ſpectaverunt, n: 4832.

13. *De Senſu literæ ſeu Externo Verbi.* Quod Senſus literæ Verbi ſit ſecundum apparentias in mundo, n: 584. 926. 1719. 1720. 1832. 1874. 2242. 2520. 2533. Et ad captum ſimplicium, n: 2533. 9049. 9063. 9086. Quod Verbum in ſenſu literæ ſit naturale, n: 8783. Ex cauſa, quia Naturale eſt ultimum, in quod deſinunt ſpiritualia & cœleſtia, & ſuper quo, ſicut domus ſuper ſuo fundamento, ſubſiſtunt, & quod alioquin Senſus internus abſque Externo foret ſicut domus abſque fundamento, n: 9360. 9430. 9824. 9433. 10044. 10436. Quod Verbum quia tale ſit continens ſenſus ſpiritualis & cœleſtis, n: 9407. Et quia tale, quod ſit ſanctum Divinum in ſenſu literæ quoad omnia & ſingula ibi, uſque ad unamquamque jotham, n: 639. 680. 1319. 1870. 9198. 10321. 10637. Quod Leges pro Filiis Iſraelis latæ, tametſi abrogatæ, uſque ſanctum Verbum ſint, ob ſenſum internum in illis, n: 9210. 9259. 9349. Quod Leges, Judicia, & Statuta pro Eccleſia Iſraelitica ſeu Judaica, quæ fuit Eccleſia Repræſentativa, ſint quæ adhuc in utroque ſenſu, Externo & Interno valent, ſint quæ ſecundum Senſum externum omnino cuſtodienda ſunt, ſint quæ poſſunt eſſe uſui ſi libet, & ſint quæ prorſus

prorſus abrogata, de quibus, n: 9349. Quod Verbum Divinum ſit etiam quoad illa quæ abrogata ſunt, propter cœleſtia quæ in ſenſu interno eorum latent, n: 10637.

Quale Verbum eſt in ſenſu literæ, ſi non intelligitur ſimul quoad Senſum internum, ſeu quod idem, ſecundum veram doctrinam e Verbo, n: 10402. Quod ex Senſu literæ abſque Senſu Interno, ſeu abſque genuina Doctrina ex Verbo, hæreſes immenſo numero ſcaturiant, n: 10401. Quod illi, qui in Externis abſque Internis ſunt, non ſuſtineant interiora Verbi, n: 10694. Quod Judæi tales fuerint, & quoque hodie ſint, n: 301. 302. 303. 3479. 4429. 4433. 4680. 4844. 4847. 10396. 10401. 10407. 10695. 10701. 10707.

14. *Quod Dominus ſit Verbum.* Quod in Senſu intimo Verbi agatur unice de Domino, ac deſcribantur omnes ſtatus Glorificationis Humani Ipſius, hoc eſt, Unionis cum Ipſo Divino, & quoque omnes ſtatus ſubjugationis Infernorum, & ordinationis omnium ibi, & in Cœlis, n: 2249. 7014. Ita quod in illo Senſu deſcribatur omnis vita Domini in Mundo, & quod per id præſentia Domini continua ſit apud Angelos, n: 2523. Proinde quod Solus Dominus ſit in intimo Verbi, & quod inde Divinum & Sanctum Verbi ſit, n: 1873. 9357. Quod Dominus dixerit, quod impleta ſit Scriptura de Ipſo, ſignificet quod omnia quæ in Senſu intimo, n: 7933.

Quod Verbum ſignificet Divinum Verum, n: 4692. 5075. 9987. Quod Dominus ſit Verbum, quia eſt Divinum Verum, n: 2533. Quod Dominus ſit Verbum, etiam quia Verbum eſt ab Ipſo, & de Ipſo, n: 2859. Ac de Solo Domino in Senſu intimo, ita Ipſe Dominus ibi, n: 1873. 9357. Et quia in omnibus & ſingulis Verbi eſt Conjugium Divini Boni ac Divini Veri, quod conjugium eſt in Solo Domino, n: 3004. 3005. 3009. 4158. 5194. 5502. 6343. 7945. 8339. 9263. 9314. Quod Divinum Verum ſit unicum reale, & quod id in quo eſt, quod eſt ex Divino, ſit unicum ſubſtantiale, n: 5272. 6880. 7004. 5200. Et quia Divinum Verum procedens a Domino ut Sole in Cœlo, eſt Lux ibi, & Divinum Bonum eſt Calor ibi, & quia ex illis omnia ibi exiſtunt, ſicut ex luce & calore omnia in mundo, quæ etiam ſunt in ſuis ſubſtantiis & per illas agunt, & quia per Cœlum ſeu Mundum ſpiritualem exiſtit Mundus naturalis, patet quod omnia quæ creata ſunt, ex Divino Vero, ita ex Verbo, creata ſint, ſecundum hæc verba apud Johannem, " *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, & per illud omnia facta ſunt quæ facta* ; & VERBUM CARO FACTUM EST, I: 1. 2. 3.

2. 3. 14, n: 2803. 2884. 5272. 7830. *Porro de Creatione omnium ex Divino Vero, ita a Domino, videatur in Opere de* Cœlo & Inferno, n: 137; *& plenius in Articulo, ubi agitur de Sole in Cælo, quod sit Dominus, & quod sit Divinus Ipsius Amor*, n: 116 ad 125. *Et quod Divinum Verum sit Lux, & Divinum Bonum sit Calor, ex illo Sole in Cælo*, n: 126 ad 140.

Quod conjunctio Domini cum homine sit per Verbum, medio Sensu interno, n: 10375. Quod per omnia & singula Verbi sit conjunctio, & quod inde Verbum sit mirabile præ omni scripto, n: 10632. 10633. 10634. Quod Verbum, postquam conscriptum est, Dominus loquatur per id cum hominibus, n: 10290. *Videantur insuper quæ in Opere de* Cœlo & Inferno *allata sunt de Conjunctione Cæli cum homine per Verbum*, n: 303 ad 310.

15. *De illis, qui contra Verbum sunt.* De illis qui contemnunt, blasphemant, & prophanant Verbum, n: 1878. Quales sunt in altera vita, n: 1761. 9222. Quod referant viscosa sanguinis, n: 5719. Quantum periculi a prophanatione Verbi, n: 571 ad 582. Quantum nocet, si principia falsi, imprimis quæ favent amori sui & mundi, confirmentur per Verbum, n: 589. Qui in nulla affectione veri propter verum sunt, quod plane rejiciant illa quæ sunt Sensus interni Verbi, & ad illa nauseent, ab experientia a talibus in Mundo spirituum, n: 5702. De quibusdam in altera vita, qui prorsus rejicere conati sunt interiora Verbi, quod rationalitate orbati sint, n: 1879.

16. *Libri Verbi quinam.* Quod Libri Verbi sint omnes qui Sensum internum habent; qui autem non habent, quod non sint Verbum. Quod Libri Verbi in Veteri Testamento sint; Quinque Libri Mosis; Liber Josuæ; Liber Judicum; Duo Libri Samuelis; Duo Libri Regum; Psalmi Davidis; Prophetæ, Esaias, Jeremias, Threni, Ezechiel, Daniel, Hoseas, Joel, Amos, Obadias, Jonas, Michah, Nahum, Habakuk, Zephanias, Haggai, Zacharias, Malachias. In Novo Testamento Quatuor Evangelistæ, Matthæus, Marcus, Lucas, Johannes; & Apocalypsis. Reliqui non Sensum internum habent, n: 10325.

Quod Liber Hiobi sit Liber Antiquus, in quo quidem Sensus internus, sed non in serie, n: 3570. 9942.

17. *Plura*

17. *Plura de Verbo.* Quod VERBUM in Lingua Hebræa varia ſignificet, nempe Sermonem, Cogitationem mentis, omnem rem quæ realiter exiſtit, tum aliquid, n: 9987. Quod Verbum ſignificet Divinum Verum & Dominum, n: 2533. 4692. 5075. 9987. Quod Verba ſignificent vera, n: 4692. 5075. Quod ſignificent doctrinalia, n: 1288. Quod Decem verba ſignificent omnia Divina Vera, n: 10688.

Quod binæ expreſſiones unius rei in Verbo imprimis Prophetico ſint, & quod una ſe referat ad bonum, & altera ad verum, quæ ſic conjunguntur, n: 683. 707. 5516. 8339. Quænam expreſſio ad bonum ſe refert & quænam ad verum, quod non ſciri queat niſi ex Senſu interno Verbi, quoniam voces propriæ ſunt quibus exprimuntur illa quæ boni ſunt, & propriæ quibus illa quæ veri, n: 793. 801. Et hoc uſque, ut noſcatur ſolum ex prædicatione vocum, num de bono & num de vero agitur, n: 2722. Quod etiam quandoque una expreſſio involvat commune, & altera determinatum quid a communi, n: 2212. Quod ſit ſpecies reciprocationis in Verbo, de qua n: 2240. Quod pleraque in Verbo etiam ſenſum oppoſitum habeant, n: 4816. Quod Senſus internus prædicabiliter ſequatur ſuum ſubjectum.

Quod, qui delectati ſunt Verbo, in altera vita accipiant calorem cœli, cui ineſt amor cœleſtis, ſecundum quale & quantum delectationis ex amore, n: 1773.

FINIS.

2. 3. 14, n: 2803. 2884. 5272. 7830. *Porro de Creatione omnium ex Divino Vero, ita a Domino, videatur in Opere de* Cœlo & Inferno, n: 137; *& plenius in Articulo, ubi agitur de Sole in Cælo, quod ſit Dominus, & quod ſit Divinus Ipſius Amor*, n: 116 ad 125. *Et quod Divinum Verum ſit Lux, & Divinum Bonum ſit Calor, ex illo Sole in Cælo*, n: 126 ad 140.

Quod conjunctio Domini cum homine ſit per Verbum, medio Senſu interno, n: 10375. Quod per omnia & ſingula Verbi ſit conjunctio, & quod inde Verbum ſit mirabile præ omni ſcripto, n: 10632. 10633. 10634. Quod Verbum, poſtquam conſcriptum eſt, Dominus loquatur per id cum hominibus, n: 10290. *Videantur inſuper quæ in Opere de* Cœlo & Inferno *allata ſunt de Conjunctione Cæli cum homine per Verbum*, n: 303 ad 310.

15. *De illis, qui contra Verbum ſunt.* De illis qui contemnunt, blaſphemant, & prophanant Verbum, n: 1878. Quales ſunt in altera vita, n: 1761. 9222. Quod referant viſcoſa ſanguinis, n: 5719. Quantum periculi a prophanatione Verbi, n: 571 ad 582. Quantum nocet, ſi principia falſi, imprimis quæ favent amori ſui & mundi, confirmentur per Verbum, n: 589. Qui in nulla affectione veri propter verum ſunt, quod plane rejiciant illa quæ ſunt Senſus interni Verbi, & ad illa nauſeent, ab experientia a talibus in Mundo ſpirituum, n: 5702. De quibuſdam in altera vita, qui prorſus rejicere conati ſunt interiora Verbi, quod rationalitate orbati ſint, n: 1879.

16. *Libri Verbi quinam.* Quod Libri Verbi ſint omnes qui Senſum internum habent; qui autem non habent, quod non ſint Verbum. Quod Libri Verbi in Veteri Teſtamento ſint; Quinque Libri Mosis; Liber Josuæ; Liber Judicum; Duo Libri Samuelis; Duo Libri Regum; Psalmi Davidis; Prophetæ, Esaias, Jeremias, Threni, Ezechiel, Daniel, Hoseas, Joel, Amos, Obadias, Jonas, Michah, Nahum, Habakuk, Zephanias, Haggai, Zacharias, Malachias. In Novo Teſtamento Quatuor Evangeliſtæ, Matthæus, Marcus, Lucas, Johannes; & Apocalypsis. Reliqui non Senſum internum habent, n: 10325.

Quod Liber Hiobi ſit Liber Antiquus, in quo quidem Senſus internus, ſed non in ſerie, n: 3570. 9942.

17. *Plura*

17. *Plura de Verbo.* Quod VERBUM in Lingua Hebræa varia ſignificet, nempe Sermonem, Cogitationem mentis, omnem rem quæ realiter exiſtit, tum aliquid, n: 9987. Quod Verbum ſignificet Divinum Verum & Dominum, n: 2533. 4692. 5075. 9987. Quod Verba ſignificent vera, n: 4692. 5075. Quod ſignificent doctrinalia, n: 1288. Quod Decem verba ſignificent omnia Divina Vera, n: 10688.

Quod binæ expreſſiones unius rei in Verbo imprimis Prophetico ſint, & quod una ſe referat ad bonum, & altera ad verum, quæ ſic conjunguntur, n: 683. 707. 5516. 8339. Quænam expreſſio ad bonum ſe reſert & quænam ad verum, quod non ſciri queat niſi ex Senſu interno Verbi, quoniam voces propriæ ſunt quibus exprimuntur illa quæ boni ſunt, & propriæ quibus illa quæ veri, n: 793. 801. Et hoc uſque, ut noſcatur ſolum ex prædicatione vocum, num de bono & num de vero agitur, n: 2722. Quod etiam quandoque una expreſſio involvat commune, & altera determinatum quid a communi, n: 2212. Quod ſit ſpecies reciprocationis in Verbo, de qua n: 2240. Quod pleraque in Verbo etiam ſenſum oppoſitum habeant, n: 4816. Quod Senſus internus prædicabiliter ſequatur ſuum ſubjectum.

Quod, qui delectati ſunt Verbo, in altera vita accipiant calorem cœli, cui ineſt amor cœleſtis, ſecundum quale & quantum delectationis ex amore, n: 1773.

FINIS.